

Letter 346: 9 January 1528, Frankfurt, Dionysius Melander Sr. to Capito

The original autograph of this letter is in Basel UB Fr. Gr. ms. I 19, f. 47. The letter has been printed in K. Martin Sauer, "Dionysius Melander d.Ä. (ca. 1486-1561), Leben und Briefe," *Jahrbuch der Hessischen Kirchengeschichtlichen Vereinigung* 29 (1978) 27-8, Ep. 3.

Gratia et pax. Quot modis Satan hodie verbi ministros impetat, Capito doctissime, te clam esse dubito minime. Nam quos a verbi ministerio deiicere non potest illis autoritatem per filiorum suorum mendacia conatur adimere. Quod accidisse tibi iam pridem magno cum gemitu audivi. Sunt enim falsi fratres qui te primum, dein Argentinenses male sentire de Trinitate deque

5 Christi divinitate et scribunt et dicunt, et profecto dudum eos indicassem tibi sed implacabile quorundam in te odium irritare et coram te suspicionem quod fratum quaeram discordiam incurrire nolui. Adhaec nolui me immiscere alieno negotio. Excusavi tamen interim te atque tuos quos in primis charos habeo ac tanquam praeceptrores suspicio et veneror. Quantum potui, vestram eam autoritatem hic illesam conservare studui. Dixi bene sentire vos fortasse voculam 10 hanc "Trinitas" non esse in scripturis dixisse vos, non tamen praeterea male sentire de Deo, Christo et Spiritu Sancto. Quare per Christum te oro, rescribe aut mitte ut legam vestrum in his sentimentum et curabo quam citissime remittere. Sunt enim, iique non minimi hic, qui vix nomina vestra audire ferunt. Consultum quoque mihi videtur, ut per litteras te expurgares apud 15 Hermannum Buschium virum recte pium et integrum non quod mali quidpiam de te sentiat aut dicat, sed ut maledicentiam quorundam Marpurgi posset eo dexterius compescere. Si fers copiosius, etiam indicatis nominibus quorundam, posthac ad te scribam. Caeterum Anabaptistarum error cepit hic, cui pro virili me opposui, tandemque evanuit; de hoc interroga hunc nostrum Leonardum. Sunt qui Basileae dicunt Denckium diem clausisse extremum et in 20 Anabaptistarum erroribus pertinaciter perseverasse. Oro de hoc quoque rescribe.

Magnus hic expectatur fructus ex disputatione Bernensi, potissimum in negotio sacramenti. Tu, si quid habes, fac per literas rectior de hoc fiam. Postremo, quia me Dominus liberavit ab uxore quam ad nocendam et mentiendum natam esse puto. Circumspitio iam, et si meis moribus equalem invenero, ducam tum in Domino. Quare non est opus ut pro Xantippe 25 scribatis. Nolo eam videre, multo minus habere Bestiam. Impii enim me liberum dicunt. Nam me numquam uxorem sed Diabolum habuisse aiunt. Plura etiam mihi abstulit quam unquam attulerit. Crede, expecto, diffamabit vos vestrasque uxores et familiam apud impios si quos apud vos habuerit. Consulerem ego, ut vestro hortatu, per magistratum pelleretur ab urbe vestra. Multi etenim hic, etiam ex adversariis, eam submergerent si rediret. Vale, optime pater, et pro re extemporalitati et quomodo pro mea solita libertate tamquam praesens essem, scripsi et me 30 commendatum habe atque Christo tuis commenda praecibus et rescribe meque libere increpa. Iterum vale ac commenda fratribus. Franfordiae, 9 Ianuarii 1528.

Dionysius Melander tuus deditssimus.